

monium odii sui erga peccata exhiberet, quale *Jesum Christum, mundi Messiam* fuisse revelatio docet, ita ut Deus nobis peccatoribus gratis peccatorum veniam salva justitia jam concedere possit.

§. 3. Ex combinatione trium dictarum idearum, quatenus Deum ut *benignum, veracem & justum* concipimus, propullulat nova, videl. *idea sanctitatis*. etenim ideo Deum sanctum vocamus, quod erga suas creaturas se *benignum, sincerum & justum* exhibeat.

§. 4. Denique dum consideramus, quod ex non impedita summarum perfectionum possessione non possit non perpetua & summa oriri voluptas, Deum merito *beatissimum* vocamus, siquidem summa beatitudo a perenni omnium perfectionum possessione & fruitione dependeat.

CAP. XVI.

DE IMPERIO DIVINO IN HOMINES.

§. 1.

*Imperium involvit jus dirigendi alterius actiones, ex illis quasdam vel precipiendo, vel prohibendo, vel permittendo cum potestate subjectum ad imperata facienda cogendi.*

§. 2. Ut quis superiorem agat, & legitimum exerceat imperium, non solum potentiam, sed inprimis *jus imperandi* habere debet; utrumque merito Deo attribuimus. etenim *jus imperandi in*

H 3

homi-